

Hh
784

DE
I A N I T E M P L O

A ROMANIS ALIQVOTIES CLAVSO
NON CLAVSO

A
C O N S T A N T I O
ROMANORVM IMPERATORE

COMMENTATIO

QVA

ORATIONEM EVCHARISTICAM

DE PACE

QVIBVS DAM ANIMORVM CORRVPTELIS
ADITVM PRAECLVDENTE

IVSSV MAGNIFICI SENATVS

IN

AVDITORIO CATHARINIANO

A. D. XVIII. MAII ANNI PACIFERI MDCCXLXIII

SOLENNI RITV HABENDAM

AVDITVRIS INDICIT

IOHANNES DANIEL OVERBECK

GYMN. LVEEC. RECTOR
SOCIETAT. TEVTON. GOETTINGENSIS ET IENENS.
COLLEGA HONORARIUS.

LVBECAE.

FIS IOH. NICOL. GREENII
MAGN. SENAT. TYPOGR.



ОДИНОЧНЫЙ АЛМА

ОСАДОВЫЙ СИКАНДР А
СЕРГЕЙ ГЛЕБОВ

ОДИНОЧНЫЙ АЛМА

ОСАДОВЫЙ СИКАНДР

ОДИНОЧНЫЙ АЛМА


ОСАДОВЫЙ СИКАНДР
СЕРГЕЙ ГЛЕБОВ

ОДИНОЧНЫЙ АЛМА

ОСАДОВЫЙ СИКАНДР А

СЕРГЕЙ ГЛЕБОВ





§. I.

Pace parta Romanos, hoc est, quatenus quoque tempore extendissent imperii limites, gentibus quibusque vel vi et armis, vel foedere isto pacatis, illud in more positum habuisse, ut clauderent Romae Iani templum, quum notum fere sit vnicuique, tamen ritus ipse quae fata habuerit, videmus, quam non sit vulgo satis perspectum. De quo ita PLVTARCHVS⁽¹⁾: οὐδὲ Ιανὸς (sic enim ibi legitur). Alii scribunt Ιανὸς ἐν τοῖς παλαιοῖς πάνι, εἴτε δάμων, εἴτε βασιλεὺς γενόμενος, πολιτικὸς καὶ κοινωνικὸς, εἰκ τὸ Θηρώδες καὶ ἀγρίς λέγεται μεταβαλεῖν τὴν δι- αίταν. Καὶ διὰ τέτο πλάττουν αὐτὸν αἱ φιλοσοφῶν, ὡς ἐτέραν εἰς ἑτέρας τῷ βίῳ περιποιήσαντα τὴν μορφὴν καὶ διάθεσιν. Εἴτι δὲ αὐτῷ καὶ νεώς ἐν Ρώμῃ διδέρος, ὃν πολέμιος πύλην καλέστι. Νομί- ζεται γὰρ, ἀνεῳχθαι μὲν αὐτὸν, ὅταν ἡ πόλεμος, κεκλεῖσθαι δὲ, εἰρήνης γενομένης. Nam Ianus inter antiquissimos Italorum vel lures vel reges, vitae ciuili dedit operam humanaeque societati, feros-

a 2

⁽¹⁾ in Numa p. 72. f. edit. Francof. 1620. fol.

ferosque et agrestes dicitur aboleuisse hominum mores. Itaque singunt eum bifrontem, ut qui nouam pro veteri hominibus derit quasi faciem et formam. Estque eius delubrum Romae duabus foribus patens, quam belli portam appellant, quia mos viget, ut aperiatur illud belli tempore, claudatur vero pace parta. MACROBIUS vero⁽²⁾: Patulcium, inquit, et Clusium⁽³⁾ (Ianum inuocamus), quia bello caulae eius patent, pace clauduntur. Huius autem rei haec causa narratur. Quum bello Sabino, quod virginum raptarum gratia commissum est, Romani portam, quae sub radicibus collis Viminalis erat, quae postea ex euentu Ianialis vocata est, claudere festinarent, quia in ipsam hostes ruebant; postquam est clausa, mox sponte patefacta est.⁽⁴⁾ Quumque iterum ac tertio idem contigisset, armati plurimi prolimine, quia claudere nequibant, custodes steterunt. Quumque ex alia parte acerrimo praetilio certaretur, subito fama pertulit, fusi a Tatio (Sabinorum rege) nostros. Quam ob causam Romani, qui aditum tuebantur, territi profugerunt. Quumque Sabini per portam patentem irrupturi essent, fertur ex aede Iani per hanc portam magnam vim torrentium undis scatentibus erupisse,

⁽²⁾ Saturnal. Lib. I. cap. 9.

⁽³⁾ Pro Clusio vocatur alias etiam Clusus, vt in illo OVIDII Faſt. Lib. I. v. 125. sq.

Nomina ridebis modo namque Patulcius idem
Et modo sacrifico Clusus ore vocor.

⁽⁴⁾ Vi Iunonis id factum esse, quae succenſebat genti Romanae, idem OVIDIUS tradit ibid. v. 271 f.

Et iam conrigerant portam, Saturnia cuius
Demſerat opositas inuidiosa ſeras.

erupisse, multasque perduellum ceteras aut exustas feruentia
aut deuoratas rapida voragine deperiisse. Ea re placitum; ut
belli tempore, velut ad urbis auxilium profecto deo, fores re-
serarentur. ^{et} ~~mon~~ inimicis omni insupino conculca assus
omni aspergo do mibis b §. II. ⁽⁵⁾ solidatione sua solidibet
Haec illi. Nos vero ex vtriusque verbis auctoris prin-

cipio quatuor ista animaduertimus. Primo, Ianum illum,
sue lar fuerit, sue rex bene meritus, a superstitione gente
cultum esse, ut deum. Quod quidem satis etiam aliunde
constat ⁽⁶⁾. Deinde, templum illius Romae positum memori-
rari, non alibi ⁽⁷⁾. Tum, sine partnerint templi illius portae,

⁽⁵⁾ Maiorum gentium deos, quotquot Romani coluerunt, diuisos fuisse docet
AVGVSTINVS de ciuitate, DEL L. V. c. 13, in consentes et selectos. Con-
sentes, quos Iupiter credebat adhibere in consilium, nominantur ab EN-
NIO in versiculis notissimis, quos seruauit APYLEIVS de deo Socratis:

*Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo,*
Selecti erant octo: *Ianus, Saturnus, Genius, Sol, Orcus, Liber, Tellus, Luna.*

⁽⁶⁾ Positum erat inter duo fora medium. OVID. Fast. I. v. 257. f.

Quum tot sint Iani, cur has sacratus in uno,

Hic, ubi iuncta foris templa duobus habes?

Quorum fororum alterum piscatorium fuisse, sive transitorium, alterum
boarium, videtur ALEXANDER ab ALEXANDRO credidisse genial dier.
Lib. II. c. 12. Attamen Lib. I. c. 14. ad infernum, ait, Argiletum, medium
circa forum contra Capitolum Iani templum stetisse, idque deinde ad fo-
rum transitorium translatum. Immo aliud quoque ad forum olitorium
fuisse conspicuum. Sane multa fuisse Romae Iani delubra, quum
ex OVIDII versibus, quos attulimus, videatur intelligi posse, tum
ex illis LIVII verbis, de quibus mox dicemus. Caeterum de situ
templi et forma PROCOPIVS Lib. I. de bello Gothicō ita apud IOSEPHVM

CASTA-

P 077. 6. Pausonius. Pausonis Panar. p. 119.

sue clausae fuerint, utrumque superstitione ritu factum fuisse et in D E V M, verum bellatorem pacisque solum auctorem, iniurio. Denique, quas causas rei venditauerint Romani, vanas fuisse nec cuiquam fano homini, nedum Christiano, credibiles aut probabiles (7). Quod quidem ob ea, quae suo loco dicentur, iam nunc annotasse sufficiat.

S. III.

Templi illius conditor Numa fuisse, Romanorum regum secundus, a nonnullis perhibetur (8). Quod tamen nec videtur e PLUTARCHI verbis consequi, et cum his, quae MACROBIUS tradit, aperte pugnat. Ille enim: *Esse Romae,*

de lu-

CASTALIONEM in opusculo de templo pacis Thes. Antiq. Rom. GRAEV. Tom. IV. p. 1854. interprete NIC. MARIA MODAFARO: *Templum in foro ante Curiam occurrit progresso parumper a tribus FATIS. Sic enim Romanis Parcas appellare mos fuit. Templum vero torum aeneum quadrangularis figuræ tantæ magnitudinis, quanta ad Iani statuam tegendam satis sit. Est quoque aenea, non minor cubitis quinque, hoc est, palmis Septem cum diuinis, ipsa statua. Caetera quidem homini simili. Sed bifronte est capite et facierum altera ad orientem; altera ad occidentem sollem vertitur. Et utrique aeneae portae respondent, quas pacis tempore rebusque prosperis occludere veteres Romani consueverunt; quum vero bello premerentur, aperire.*

(7) Etiam illae causae absurdæ sunt, quas Ianum ipsum afferentem inducit idem OVIDIUS Fast. I. v. 279. ff.

Vt populo redditus pareant ad bella profecto.

Tora patet dema ianua nostra sera.

Pace fores obdo; ne qua discedere possit.

(8) Ipse antiquitatum Romanarum promus condus, CHRISTOPHOR. CELARIUS in suo compendio id narrat p. 45. edit. WALCU.

delubrum Iani, dum in vita Numa perhibet, ideo non affir-
mat, a Numa conditum esse. Hic vero diserte, iam illo ipso
tempore, ait, quo Tatius gesserit bellum cum Romanis, hoc
est Romuli aetate, adeoque ante Numam, Romae fuisse aedem
Iani. Ac LIVIT auctoritate si standum est, modo recte ver-
ba illius intelligentur, nihil habent, ex quo praesidium huic
sententiae petatur. Ita ille (⁹): *Mitigandum, inquit, ferocem*
populum armorum desuetudine ratus (Numa), Ianum ad infi-
mum Argiletum, indicem pacis bellique fecit; apertus ut in ar-
mis esse ciuitatem; clausus pacatos circa omnes populos, signifi-
caret. Non hoc ait: Condidit Numa templum Iani, sed:
Ianum illum, qui erat Romae, immo, ex multis delubris Iani
illud, quod situm erat prope Palatium ad infimum Argiletum,
(sive ab argilla locum sive ab Argo dictum) quodque antea
nondum aut pacem significauerat, aut bellum; Ianum igitur
illum indicem pacis bellique fecit. Haec qui possunt condi-
tum a Numa Iani templum indicare? Facilius illud locum
habere crediderim, quod alii dicunt, apud SERVIVM (¹⁰), Ta-
tium et Romulum factio foedere hoc templum aedificasse, unde, ut
addit SERVIUS, et Ianus ipse duas facies habet, quasi ut ostendat
duorum regum coitionem. Non igitur verum est, condi-
tum esse a Numa Iani templum.

§. III.

(⁹) Histor. Roman. Lib. I. cap. 19.

(¹⁰) Ad VIRGIL. Aeneid. I. v. 295. pag. 190. Conf. ad Aeneid. XII. v. 198.

p. 677. & Pantheon mythicum FRANCISCI POMEY p.m. 119.

Sed tamen clausum ab illo primum fuisse, nemo negat. Quamquam enim nec LIVIUS illud nec PLUTARCHVS pallam confirmat, tamen ea narrat uterque de Numa, quae statim eo pertinere videantur. In primis PLUTARCHVS: Αλλ' επί γε τῆς Νομᾶ Βασιλείας ὑδερίαν ἡμέραν ἀνεῳχμένον ὥφθη, τρία δὲ καὶ τεσσαράκοντα ἔτη συνεχῶς ἐμεινε πεντετομένος. At Numa regnante ne uno quidem die hoc templum patere visum est, sed per tres et quadraginta annos perpetuo mansit occulsum⁽¹¹⁾. Rex ergo ille Ianum cum primum pacis indicem fecisset, profecto ante illum nemo potuit hoc delubrum pacis causa claudere. Sequitur, ut id ipse initio sui regni fecisse videatur, quia, clausum per omne ipsius regnum fuisse, refert PLUTARCHVS. Qui idem difficile fuisse merito decernit apud Romanos, ut semel Ianus et ad breve tempus clauderetur, causam vero adiungit eam, quae non poscit, nisi postremis Romanae magnitudinis temporibus, valuisse: Αεί τινι συηρημένῃ πολέμῳ τῆς ἡγεμονίας διὰ μέγεθος, τοῖς πύκλῳ περιεκυμένοις γένεσι Βαρβαροῖς ἀντερεδόσῃς, quia semper implicatum bello imperium est ob magnitudinem suam, semperque iis, quibus undique circumfunditur, gentibus barbaris aduersatur⁽¹²⁾. Nam Romanos, constat, ab ipsis rerum suarum primordiis fuisse bellicosiores et vel in mediocri fortuna, quinimmo in ipsa primorum temporum inopia, finitimus gentibus invisos, quibus idcirco raro admodum enenerit, ut ab omni armorum strepitu conquiescerent. Immane bellicae ciuitatis argumentum (sic enim parum abest, quin

(11) In Numa pag. 73.

(12) Ibid.

qui cum PATERCVLO (⁽¹³⁾) exclamem, quod semel sub regibus,
iterum Tito Manlio consule, tertio Augusto principe, certae pacis
argumentum, Ianus geminus clausus, dedit! Atque hanc ob cau-
sam videmus tantae gratulationis rem fuisse Romanis, si id ali-
quando contringeret. Ita LIVIVS (⁽¹⁴⁾): Bis deinde (Janus) post
Numae regnum clausus fuit. Semel Tito Manlio Consule, post
Punicum primum perfectum bellum. Iterum, quod nostrae aeta-
ti dñi dederunt, ut videremus, post bellum Aetiacum, ab Impera-
tore Caesare Augusto, pace terra marique parta. Ita SVETO-
NIVS (⁽¹⁵⁾) Ianum Quirinum (Octauius Augustus) semel atque ite-
rum a condita vrbe memoriam ante suam clausum in multo bre-
viore temporis spatio terra marique pace parta ter ciusit. Ter
posui, non tertium, quia veram illam lectionem esse vener.
ERNESTI ad hunc locum animaduerit, a nemine posse ho-
die dubitari. Ita denique FLORVS (⁽¹⁶⁾): Aufusque tandem
Caesar Augustus septingentesimo ab vrbe condita anno Ianum
Geminum cludere, bis ante se clusum, sub Numa rege et vieti
primum Carthaginem.

§. V.

Quantumuis autem raro contigerit, vt id templum clau-
deretur, tamen hoc, vt bis euénit, quod vidimus, ante Augu-
stum, ita ter, sicut reēte apud SVETONIVM legi modo dice-
bam, ab illo ipso factum est. Qua de re nunc paullo amplius
dicemus, auctore in primis illo, quem s. AVGVSTINVS ad
scribendum incitauit, PAVLO OROSIO, presbytero Hispani-
ensi, Saeculi V. scriptore plane utili, quod de illo candidum
b est

(⁽¹³⁾) Hist. Rom. Lib. II. c. 38.(⁽¹⁵⁾) in Octauio, Caef. Augusto c. 22.(⁽¹⁴⁾) Hist. Rom. Lib. I. c. 19.(⁽¹⁶⁾) Rer. Romanar. Lib. IV. c. 12.

est VOSSII iudicium (¹⁷), etiamsi, ut addit idem, *scriptores Graecos non legerit, immo Graecarum litterarum expers fuerit, in temporibus etiam crebro fallatur.* Qui primum ita ad annum ab urbe condita 725. quo anno ipse Augustus quintum & Sextus Apuleius, quem perperam OROSIVS Lucium dicit, consules fuerunt (¹⁸): *Caesar, inquit, vicit ab oriente rediens octauo Iduum Ianuarias urbem triplici triumpho ingressus est.* Ac tum primum ipse Iani portas, sotis omnibus finitisque bellis ciuilibus, clausit. Dixerat autem proximo capite de bello Aetiaco contra Antonium et Cleopatram. Quo finito primum ab Augusto Ianum clausum, etiam LIVIVS modo testabatur. Tres vero triumphos illos ab hoc non Ianuario mense in urbem illatos, ipsius Senatusconsulti verbis MACROBIS confirmat (¹⁹), sed potius Sextili, eumque mensem hanc ipsam, ut et alias ob causas, a Caesaris nomine Augustum esse appellatum. Per quam occasionem quae huius in honorem decreta a S. P. Q. R. erant, postquam recensuit DIO CASSIVS (²⁰), addit illud (²¹): πλεῖστον δὲ ὅμως ὑπέρ πάντα τὰ ψηφισθέντα οἱ υπεργότη, ὅτι τάς τε πύλας τὰς τὲ Ιανᾶς, ὡς καὶ πάντων σφίσι τῶν πολέμων πεπαυμένων αὐτοῖς, ἐκλεισταν, καὶ τὸ οἰώνισμα τὸ τῆς ὑγιείας ἐποίησαν. I. e. interprete GVIL. XYLANDRO: *Sed ex omnibus his decretis nullum ei maiori voluptati fuit, quam quod portae Iani ab ipsis clausae sunt, quasi omnibus bellis confectis; ac quod augurium salutis factum est* (²²). Deinde OROSIVS (²³) ad annum

(¹⁷) de Historicis Latin. Lib. II. c. 14.

(¹⁸) Historiar. adv. paganos Lib. VI. c. 20.

(¹⁹) Saturnal. Lib. I. c. 12.

(²⁰) Hist. Rom. Lib. LI. ad ann 725. p. 523 sq. ed. STEPH.

(²¹) p. 524.

(²²) Quod augurium quale fuerit, quoue ritu capi solitum, ipse DIO Lib.

xxxvii. p. 45. f. indicat.

(²³) Lib. VI. cap. 21.

num ab v. c. 726. quum Augustus sextum, Marcus Agrippa iterum, consules essent, postquam aperuisse eum Iani portas atque in Hispanias cum exercitu profectum fuisse tradiderat, et quae sequuntur, tandem habet haec: *Cantabricae victoriae hunc honorem Caesar detulit, ut tunc quoque belli portas clauistro cohiberi iuberet.* Ita tunc secundo per Caesarem, quarto post urbem conditam clausus est Ianus. Qua eadem de re DIO CASSIVS⁽²⁴⁾ licet ad alium annum, scilicet ab v. c. 729. Augusto nonum Marco Silano tertium consulibus, ita exponit: Αὐγύστος μὲν ταῦτα τε ἐν τοῖς πολέμοις ἔπειρε, νῷ τὸ τε ἀνά τεμένος μα κίνηθε δι' αὐτὸς, ἐκλείστεν. Augustus bellis ad hunc modum confessis, Iani templum, quod propter haec bella fuerat reseratum, clausit. Denique de tertium clauso ab Augusto Iano OROSIUS⁽²⁵⁾: *Anno ab v. c. DCCLII. Caesar Augustus ab oriente in occidentem, a septentrione in meridiem, ac per totum oceanii circulum cunctis gentibus una pace compositis, Iani portas tertio ipse tunc clausit.* Quas ex eo per duodecim fere annos quietissimo semper obseratas otio, ipsa etiam rubigo consignavit; nec prius unquam, nisi sub extrema senectute Augusti, pulsatae, Atheniensium seditione et Dacorum commotione patuerunt. Clavis igitur Iani portis rem publicam, et quae sequuntur. Quod dum ita enarrat, quamquam nulla habet, quae quidem hodie legimus, reliquorum auctorum testimonia illud idem similiter exponentia, tamen et clausum ter Ianum ab Augusto supra vidimus a Suetonio confirmari, et CORNELII TACITI auctoritate sese ipsum munientem habemus OROSIUM septimi libri capite tertio, vbi de

b 2

eadem

(24) Lib. LIII. p. 589.

(25) Lib. VI. c. 22.

eadem re ita: *Deinde, inquit, ut verbis CORNELII TACITI loquar, sene Augusto Ianus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos nouae gentes (fortasse lites) saepe ex usu et aliquando cum damno quaeruntur, usque ad Vespasiani durauit imperium.* Huc usque CORNELIVS. Ac vere ISAAC. CASAVBONVS⁽²⁶⁾, posteaquam fassus est, nullam huius rei ad hunc annum yrbis mentionem factam esse a DIONE, subiungit haec: *Sed meminerunt veteres alii, ex quibus sumissi OROSIVM non dubium.* CELLARIUS vero doctissimus vir et diligentissimus⁽²⁷⁾: *De tertium clauso (iano) perdidimus, inquit, veterum monumenta; seruavit OROSIVS 7. c. 3. ex TACITO, sene Augusto Ianum patefactum, quum Caius ad bellum Parthicum mittetur.* Duodecim annis ante hoc clausum fuisse tradit OROSIVS 6. 23. Sed H. NORIS in *Cenotaphiis Pisanis* p. 197. ⁽²⁸⁾ probat, vix maius, quam triennii, spatium bello fuisse vacuum. Fallitur ergo in his quoque temporibus, sicuti crebro lapsus esse a VOSSIO perhibetur, OROSIVS. Nec minus perperam videtur annum ab v. c. 752. hoc est eum, quo natus est IESVS CHRISTVS hominum saluator, posuisse, qui ex vero debuerat annum ab v. c. 731. nominare, si modo iudicanda res est ex inscriptione, quam habet GRVTERVS⁽²⁹⁾, cuius hoc est initium: IMP. CAES. DIVI. F. AVGUSTVS. PONT. MAX. COS. XI. TRIBVNIC. POT. X. IMP. VIII. ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. IANI. CLVSO. Constat enim, vndeclimum Augusti consulatum in illum, quem dixi,

⁽²⁶⁾ ad SVETON. Aug. c. 22. ⁽²⁷⁾ Histor. Antiq. Lib. IV. extr. p. 106.

⁽²⁸⁾ Diff. II. c. 10. Opp. Tom. III. p. 309.

⁽²⁹⁾ Inscr. Ant. p. 149.

dixi, annum incidere, anni autem 752, quo natus est Christus, consules fuisse Cossum Cornelium Lentulum et Lucium Calpurnium Pisonem. Quamquam etiam in hac re defendit OROSIUS sui causam CASAVBONVS (30). Sed tamen ab his erroribus triumphos suos duxisse arbitror IOHANNEM MASSONVM in nobilissimo libro, quem inscripsit *Iani templum Christo nascente referatum*. In quo nondum a me viso rem omnem dicitur ab omni dubio liberasse. Haec dixi haec tenus de belli portis ter ab Augusto clausis.

§. VI.

Venio ad tempora Neronis. Cui quidnam rei est, feroci homini et crudeli, cum Iano, deo pacis? Atque hic tamen primus creditur (31) post Augusti tempora belli portas occluse. Qua de re ita SVETONIVS (32): *Ianum geminum clausit*

b 3

tam

(30) Vbi modo.

(31) Creditur, inquam; vt fugiam negandī quandam temeritatem, quasi fieri non potuisset, vt vel alii ex imperatoribus Nerone prioribus Augustum fecutis templum illud obserauerint. Est enim debilis plerunque ratio et infirma, quae ad res negandas a scriptorum silentio ducitur. Valetque hic ex parte illud, quod vener. ERNESTI ὁ πάντα ad SVETON. Nero. c. 13. de illa quaestione disputat: Semel an aliquoties Ianum Nero clauserit? Illud, inquit, certe demonstrari non posset, erantque nummis aut inscriptionibus tantum unum exemplum proderetur: *Nam potuerunt monumenta alia intercidisse*. Et numisma quidem, in quo leguntur haec verba: IMP. NERO. CAESAR. AVG. PONT. MAX. TR. B. POT. P. P. PACE. P. R. TERRA. MARIQ. PARTA. IANVM. CLVSIT. pro tutili JOSEPHVS CASTALIO in opusculo de pacis templo Thes. Antiq Rom. GRAEV. Tom. IV. p. 1852. It. aliud simile GUIL. du CHOUV. Discours de la Religion des anciens Romains p. 17. (32) in Neronē c. 13. extr.

tam nullo, quam residuo bello. Id vero factum esse perhibet ISAACVS CASAVBONVS (33) anno ab v. c. 811, ipso Neronе terium et Valerio Messala consulibus. Quibus auctoribus, nescio, nisi id forte ex quibusdam faustis rebus, quas Neroni TACITVS narrat illo anno obtigisse (34), coniecit. Quod quum is ibi ita affirmet, vt semel, non saepius, a Neronе factum esse existimare videatur, alio tamen loco (35): *Omnino, inquit, suadere videntur TRANQVILLI verba, saepius a Nerone clausum esse Ianum.* Quam equidem viri doctissimi inconstantiam, vt et illam praefantissimi BVRMANNI, quam notat vener. ERNESTI ad hunc SVETONII locum, non utriusque ingenii vitio aut acuminis, sed verborum SVETONII, tribuendam esse censeo. Quae constituere quam difficile sit, idem ERNESTI ad hunc locum luculenter demonstrat, monetque, aliquoties clausum fuisse a Nerone Iani templo, credibile fieri ipsius vanitate ea, cuius etiam alii Imperatores exempla dederint. De quibus vero dicat Imperatoribus, equidem ingenue, me nescire, fateor.

§. VII.

Tum vero a Nerone, si semel, sextum omnino clausus est Ianus, siquidem id ter aetate Augusti, bis ante Augustum, euenit. Contra ea sextum id factum a Vespasiano esse, affirmat OROSIUS (36), eiusque Tito filio. Nec piget, verba ipsa, non modo, quae proprie hic pertinent, sed vt ea ipsa melius

(33) Ad SVETON. Aug. c. 22. (34) Annal. Lib. XIII. c. 41.

(35) Animaduert. in SVETON. Neron. c. 13. p. m. 271.

(36) Lib. VII. cap. 9.

melius intelligentur, plura etiam adducere. Ita ille: *Vespasianus et Titus imperatores, magnificum agentes de Iudeis triumphum, urbem ingressi sunt. Pulchrum et ignotum antea cunctis mortalibus inter trecentos viginti triumphos, qui a conditio-*ne *urbis usque in id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit, patrem et filium uno triumphali curru vectos, glorioissimam ab his, qui Patrem et Filium offenderant, victoriam reportasse.* Qui continuo omnibus bellis ac tumultibus domi forisque compressis, pacem totius orbis pronunciauerunt et Ianum geminum obferatis cohiberi claustris sexto demum ipsi post urbem conditam censuerunt. Ad quae OROSII verba, ut et alia in eiusdem libri tertio capite his conuenientia, non dubito, ALEXANDRVM ab ALEXANDRO respicere, dum mirante ANDREA TIRAVELLO, doctissime in eum commentato, etiam a Tito Cæfare, euersa Hierosolyma et bellis confectis Iani templum clausum perhiberi, memorat (37). Immo TACITVM quoque ipsum auctorem esse, sextum id a Vespasiano factum fuisse, CASAVBONVS narrat (38). Quod ego in iis, quae a TACITO scripta hodie continua serie leguntur, neque inueni, nec inueniri arbitror, sed esse ex iis TACITI verbis peritum censeo, quae supra ex OROSIO adduximus. In quibus Ianus sene Augusto patefactus dicitur usque ad Vespasiani durauisse imperium, hoc est, nisi fallor, ab Augusto usque ad Vespasianum omnino non clausus fuisse, ut si quintum Augustus clauserit, Vespasianus sextum clausisse videatur. Addit CASAVBONVS, quo auctore, mihi non liquet, id euenisce anno ab

V. C.

(37) Genial. dier. Lib. I. c. 14.

(38) ad SVETON. Aug. c. 22.

v. c. 824 ipso Vespasiano tertium et Nerua consulibus. OROSIVS vero, quin et TACITVS, cur Iani a Nerone clausi rationem nullam habeat, causam afferenti eidem CASAVBONO facile assentior, scilicet, *quia Nero sine vera causa clauserat.* Quod redit ad illam, de qua modo dicebam, illius monstri vanitatem. Sine causa vero clausisse, atque ut alii victoriam cecinerunt sine triumpho, ira hunc sine pace obserasse belli portas, LIPSIVS quoque aliquie docti viri videntur putauisse, qui SVETONIVM illo loco, ubi agit de hoc Neronis facinore, ita legendum censuerunt, ut scripsisse videretur: *Ianum geminum clausit, tanquam nullo residuo bello,* atque subindicasse, bella multa tum superfuisse, aut saltem non fuisse imperium Romanum ab omni bello liberum.

§. VIII.

Post aetatem Vespasiani videtur Iani templum longo tempore patuisse, quia clausi nulla fit apud auctores mentio. Nam quod AVRELIVS VICTOR in Gordiano tertio a Marco Antonino clausum perhibet, id in principe per omnem vitam, ut philosopho, sic bellatore, plane locum habere nequit. Quod ostendit hic, quem saepe dico, CASAVBONVS⁽³⁹⁾. Nisi Marcum quoque velis accusare templi per vanitatem sine causa clausi. Sed tamen aliquo tempore quocunque postea clausum fuisse, etiamsi fileant scriptores, dubitare non possumus, quia Saeculo post Christum natum tertio C. Vettio Atico et C. Asinio Praetextato Consulibus, hoc est, anno ab

v. c.

⁽³⁹⁾ In notis ad IVL CAPITOLINI Gordianos tres p. 195, edit. Parif. 1620. fol.

v. c. 955. patefactum legimus. Ita enim IULIVS CAPITO-LINVS in Gordiano tertio, postquam dixerat de terrae motu, qui Gordiano hoc imperante factus erat (40): *Sedato terrae motu, Praetextato et Attico Coss. Gordianus, aperto Iano gemino (quod signum erat indici belli), profectus est contra Persas, cum exercitu ingenti.*

§. VIII.

Ita reseratum vero templum, utrum apertum semper steterit, donec, siue Constantino M. siue Justiniano, siue alio imperante, profanis sacris clauderetur omnino, nec affirmare possum, auctoritate destitutus, nec negare. Non apertum stetisse, sed clausum, PROCOPII aerate, hoc est Justiniani temporibus, ex eo liquet, quod tum, teste eodem PROCOPIO (41), *Romani has Iani portas ne pugnantes quidem aperuerunt, sed nonnulli tantummodo occulte referare moliti sunt, sed praestare omnino non potuere.* Illud nego, post Constantinum Magnum ab huius filio Constantio imperatore pacis causa clausum esse. Quod ne temere inficiari videar, quum a quibusdam viris summis fuerit affirmatum, rem ipsam paullo accuratius examinare liceat.

§. X.

Nituntur omnia, quae de re illa dicuntur, testimonio AMMIANI MARCELLINI, qui postquam exposuit de his, quae in Galliis feliciter Constantii exercitus gesserant, et de pace ab ipso cum Sapore Persarum rege conciliata, pergit ita

(40) Scriptores histor. augustae Par. 1620. fol. p. 162.

(41) Lib. de bello Goth. ap. Ios. CASTALIONEM de templo pacis. Thes. Ant. Rom. GRAEV. Tom. IV. p. 1854.

ita⁽⁴²⁾: *Haec dum per Eoas partes et Gallias pro captu temporum disponuntur, Constantius concluso Iani templo, stratisque hostibus cunctis, Romam gestiebat visere, post Magnentii exitium absque nomine ex sanguine Romano triumphatus.* Quae verba sic intellexit CASAVBONVS, ut minime dubitaret, clausum fuisse re vera a Constantio Iani templum. *Sed et sub Christianis imperatoribus, inquit⁽⁴³⁾, seruatum aliquamdiu vetus hoc institutum, testis locuples AMMIANVS Lib. XVI. Qui in historia rerum gestarum a Constantio clausi ab eo Iani mentionem facit.* Quin eo usque hanc rem sibi persuasit, ut tempus quoque annumque, quo id factum sit, constitueret. *Id accidit post victum Magnentium, quem sublatis omnibus tyrannis unus ille Romani orbis dominus existit, A. V. C. M. C. V.* Nec magis de eadem re dubitat ANDREAS TIRAQVELLV^S⁽⁴⁴⁾, qui ad ea, quae ALEXANDER ab ALEXANDRO de obserato a Tito Iani templo memorat, ita commentatur: *Nihil de hoc SVETONIVS, AVRELIVS VICTOR EUTROPIVSque tradunt. Tu amplius videris. (Quod quidem nos ante vidimus) Ego reperio, post Maxentii exitum Constantium Iani templum clausisse, apud AMMIANVM MARCELLINVM Lib. 16.* Sic etiam IOSEPHVS CASTALIO⁽⁴⁵⁾: *Morem autem eum, inquit, Iani claudendi aperiendique perdurasse non solum ad imperatorum Gentilium, sed etiam Christianorum priora tempora, ut plerique alia, ex historicis constat.* Ac paullo post ipsa MARCEL-

LINI

⁽⁴²⁾ Lib. XVI. p. 75. ed. LINDENBROG.⁽⁴³⁾ ad SVETON. Aug. c. 22.⁽⁴⁴⁾ Annot. in ALEXANDRI ab ALEXANDRO Genial. dier. Lib.I. c.14.p.57.⁽⁴⁵⁾ in Opusculo de templo pacis Thes. GRAEV. Tom. IV. p. 1854.

LINI verba profert. Ergo si auctoritate standum est, quod tales viri tantique sibi reperisse visi sunt, id minime videtur ab ullo alio, nedum a me, negari debere.

§. XI.

Accedunt rationes, quibus, si visum fuerit, possit res ipsa quodammodo firmari. Nam Constantium, certum est, Christiana licet sacra professum, tamen tyrannum fuisse crudelissimum tantisque sceleribus imbutum, quantis qui commulatus sit, non immerito videri possit exiguum habere sanctissimae religionis rationem, neque grauem rem, aut indecoram sibi, aut damnabilem existimare, si, quemadmodum omnino profanorum hominum more viuat et a professione sua alienis simo, ita profanos quoque ritus interdum obseruet, commitatque, quod soli caeteroquin idolorum cultores ius esse et fas existiment. Deinde si vel maxime fatecamur, prius Imperatorem fuisse et religiosum, quid prohibet, quo minus ritum illum claudendi templum Iani ab illo retentum credamus, non, quo idolorum probaret cultum, sed ederet signum aliquod, neque malum per se neque bonum, sed tamen publicum, conciliatae pacis? Praesertim, quum Arelate, quae vrbis fuit olim Galliae Narbonensis, ab eodem Constantio etiam *theatrales ludos atque circenses ambitioso editos apparatu*, idem MARCEL LINVS (46) memoret. Quos ludos placendorum deorum causa ab his, qui deos colerent, olim institutos fuisse, nemo ignorat. Certe quum maneat remultae, quarum causae interierint, persistentque signa, quorum origo vera ratioque dudum sit

oblite-

(46) Lib. XIV. pag. 9.

obliterata; quis credat confessum, ab eo, qui ad pacem significandam Ianum claudat, pacis indicem, Ianum eundem colit, ut deum? Annon poterat ritus ipse superesse, causa ritus intercidisse? Haec fere pro se dicere possunt CASAVTONVS, TIRAQVELLVS, alii, qui MARCELLINVM ita, ut dixi, intelligunt.

§. XII.

Ego autem ne his quidem rationibus a mente ac sententia mea me dimoueri patior. Quod enim ad Constantium ipsum attinet, quis ille homo fuerit et qualis, minime ignoro. Perfidus, ignavus, crudelis: decepit multos et defraudauit. Occidit non modo alienos homines, sed familiares, sed agnatos, sed sanguine sibi proxime iunctos. In castris multum versatus, non in bello, non virtute oppressit inimicos, sed aut dolo circumuenit, aut profligavit aliorum ope. Minime illa omnia nego (⁴⁷). Hoc nego, religionis professionem et sapientiae Christianae susque deque ab ipso habitam fuisse. Neque enim hoc opus esse arbitror, ut doceam, fieri posse, ut homo sceleratissimus, qui minime praescriptum religionis sequatur, formulae tamen tenacissime adhaereat, quum multos norimus acerrime, ut hoc utar, aduersus hostes fidei et veritatis pugnasse, qui vita et moribus id velle efficere videbantur, ut eius ipsius hostes haberentur infensissimi. Neque illud

(⁴⁷) Ita idem AMMIANVS Lib. XVI. p. 75. Nec enim gentem ullam, inquit, bella carent per se superauit, aut vietam fortitudine suorum comperit ducum, vel addidit quaedam imperio, aut usquam in necessitatibus summis primus, vel inter primos est vijus.

nunc vrgeo, quod nescio, an falsum sit, milites omnes a Constantio fidem Christianam amplecti iussos, detrectantes inter paganos relatos, hoc est, exauktoratos esse; inde vero natam consuetudinem, quotquot Christiani non essent, paganos appellandi (⁴⁸). Hoc volo, multa Constantium, quae pertinerent ad causam religionis Christianae, sibi curae habuisse. Quod negare nemo audebit, nisi qui prius infregerit earum rerum fidem, quas aut SOCRATES secundo libro Historiae ecclesiasticae tradidit, aut SOZOMENVS quarto. Ille vero dum hoc egit, si peccauit in eo, quod Arianorum partes fecutus est, non recte de maximis rebus sentientium (quod negare, esset impugnare, quae sunt certissima), tamen illud haec tenus recte fecit, quod controuersias, quae erant inter Christianos natae, quantum fuit in se, aut sopitas voluit, aut amputatas atque decisas. Atque adeo hoc si verum est, patet, Imperatorem hunc Christianorum scitis placitisque cum quodam animi ardore addictum, nec vñquam commissurum fuisse quidquam, quod, ad hominum non Christianorum partes illum transgressum, significareret. Id quod tamen futurum erat, si templum idoli, superstitionis ritu et in verum Deum iniurio et ob causas abominabiles claudi solitum, claudi iussisset.

§. XIII.

Neque enim concedo illud alterum, ritum hunc aut fuisse per se non malum magis, quam bonum, aut a Constantio duntaxat habitum. Ab illis enim Gordianorum temporibus, quibus postremo antehac clausum sterisse illud templum, quan-

c 3

tum

(⁴⁸) IOHANN. CLERICI Compend. Histor. Universal. ad A. C. 350.

tum ex scriptoribus constat, probauimus, haec Constantii aetas minime tanto interuallo distat, vt per id tempus in tantam obliuionem adductam fuisse causam illam credamus, cur Ianus pro pacis indice haberetur et terrarum orbe pacato clauderetur. Adeoque si sciuerunt vulgo, quaenam illius caerimoniae causa fuerit atque ratio, caerimoniam hanc quis sibi persuadeat, a Christiano Imperatore retentam esse? Praesertim quum ne summa quidem illius rei obliuio aut ignoratio possit ritum ipsum ab omni superstitionis macula & profanae impietatis liberare. An hi si ob commorationem, nescio quam, inter Lotophagos, aut quodam haustu Lethaeo, aut Circes poculo, Ianum illum olim a se pro pacis deo habitum esse obliti sunt, simul idioli ipsius totiusque Iani memoriam omnem deposuerunt? Sane magis hoc mirum videretur, quam quod Pythagoras Euphorbi arma agnouisse dicitur. De theatraли autem pompa ludisque Circensibus, quos Arelate dicunt a Constantio institutos, aliter iudicandum est. Haec enim oblationa Romani homines Romanoque imperio subiecti tantopere in deliciis habuerunt, vt ne Constantinus quidem, Constantii pater, immo nec alii Christiani Imperatores, quorum religio nemini vnuquam suspecta fuit, fencrissimis legibus compescere furorem illum possent insaniamque cohibere. Qua de re quum plura proferre hic nequeam, breuitatis causa ad dissertationem prouoco CAROLI ROLLINI, quae agit de ludis gladiatoriis (⁴⁹), in qua multa, quae huc faciunt, perlustranti occurrent.

§. XIII.

(⁴⁹) Des Combats de Gladiateurs. Histoire Romaine Tome III. p. 174. f.

§. XIV.

Verum mittantur haec. Illud quaeratur: Dixeritne re
vera AMMIANVS haec, quae dixisse perhibetur, an aliquis in
illo legendō error lateat? Ille vero hancquam, nisi omnia
me fallunt, ista dixit. Quod dum ita decerno, non ego doctos
viros reprehendo, qui antehac ita AMMIANVM interpretati
sunt, sed accuso huius militis Graecique hominis horridiorem
dictionem, quam et V OSSIVS tangit (⁵⁰), qui, quod volebat,
ita elocutus est, ut dixisse videretur, quod nolebat. Ac potius
in me recipio, nullum alium scriptorem paullo cultiorem, si
forte ita, ut AMMIANVS, scripsisset, vñquam fatum illud
subiturum fuisset, ut aliter, quam velle, intelligeretur. Is
enim si de templo Iani ac delubro reapse clauso dicere voluiss-
et, nonne id ita debuisset facere et fecisset, ut paria fuissent
caetera et cum re ipsa congruentia? Hic vero quid facit?
Primum Iani delubrum prius dicit clusum, quam stratos hostes.
Concluso Iani templo stratisque hostibus cunctis. Hoc quis ferat?
Adeone conclusit Constantius Iani templum, priusquam, cur
id faceret, seiret an esset sibi euenturum? Hominum fidem!
Ianum clausisset Imperator hostes aggressurus, antequam ho-
stium fudisset copias? Spe ille quidem ac certa animi fiducia
si tale quid ausus fuisset, nonne ausis potuisset excidere? Tum
demum vero si Iani gemini portas denuo aperuisset, nonne
id serum fuisset omniumque fana mente vtentium risu di-
gnum? Deinde, ubi conclusit Iani templum? Romaene?

Hoc

(⁵⁰) de Historicis latin. Lib. II. cap. 9.

Hoc quidem erat necesse, propterea quod nulla alia in vrbe, vt superius ostensum est, templum Iani erat. At Romam nondum venerat Imperator, siquidem AMMIANVS: *Romam gestiebat, inquit, viere.* Nihil videmus harum rerum cohaerere, nihil non implicatum, nihil liberum, non modo ab instantia, sed ab insania. Adeoque fieri non potuisset, vt auctor quilibet paullo, quam hic, cultior diligentiorque eam rem narrare voluisse crederetur, quam verbis non magis ad hanc rem aptis et accommodatis elocutus esset.

§. XV.

Ergo de sermone illo tam perplexo quidnam iudicii ferdum est? Minime scilicet cogitasse MARCELLINVM de belli portis a Constantio clausis. Neque enim, quantumvis peregrinus ac miles, rem illam tam tortuosa oratione & monstrofa enuntiasse. Sed nihil ille aliud significatum voluit, quam, cum Persis a Constantio pacem factam, in Galliis hostes profligatos fuisse. Pacem vero factam dum voluit indicare, vsus est, haud sane callide quidem ille, aut ex artis praescripto, sed tamen usus est verborum quadam immutatione (*τρόπον* Graeci appellant), quam μετωνυμίαν σημεῖον vocare in rhetorum scholis solent, hoc est, quia signum olim fuerat vnicuique notissimum conciliatae pacis conclusum Iani templum, ab hoc signo verba desumfit, vt pacem factam, nil aliud, significaret. Habes rem omnem. Est ipsi praeterea hoc solenne, vt flores petat a fabulis ad vestiendam orationem ludatque in rebus iis, quas ferias admodum sanctasque super-

superstitiosa antiquitas credidit. Cui mori atque consuetudini non male hoc, quod de Iano clauso crepat, responderet. Atque ut ne hoc quidem inaniter a me dictum esse quisquam existimet, paucis si illa res exemplis adhuc munitatur, nemini erit, arbitror, iniucundum. Itaque Galli vxor, soror eadem Constantii, vbi describenda est, ac more quodam Theophrasteo charactere suo notanda, *Megaera quaedam mortalis* dicitur, *inflammatrix saeuientis asfidua, humani crux* *munda, nihil mitius, quam maritus* (51). Vbi sagacitatem ipsius Constantii, qua vel secretissimos ciuium sermones indagabat, fistere vult & viuis quasi coloribus depingere: *Et interdum acciderat, inquit, ut si quid in penetrali secreto, nullo citeriore eius vitae ministro praesente pater familias uxori susurrasset in aurem, velut Amphiarao referente aut Martio, quondam vatibus inclytis, postridie diceret Imperator.* Ideoque etiam parietes arcanorum soli consciit timebantur (52). Alio loco (53), rerum praeclare gestarum faustissimo euentu creuisse rem Romanam, affirmaturus, ita loquitur: *Tempore, quo primis auspiciis in mundanum fulgorem surgeret victura, dum erunt homines, Roma, ut augeretur sublimibus incrementis, foedere pacis aeternae Virtus conuenit atque Fortuna, plerunque dissidentes.* Quarum si altera defuissest, ad perfectam non venerat summitatem. Atque, ut multa omittam, verbi causa illud, quod de Arabia (54): *Hanc, inquit, prouinciae imposito nomine restforeque attributo obtemperare legibus nostris Traianus*

(51) Lib. XIII. p. 1.

(52) Eiusdem libri p. 12.

(53) Ibid. p. 3.

(54) Ibid. p. 23.



*nus compulit imperator, incolarum tumore saepe contuso, quam
gloriose Marte Mediam urgeret & Parthos, vbi per gloriosum
Martem exercitum scilicet intelligit robore ac fortitudine va-
lidum rebusque bene gestis commemorabilem; tantummodo
legat quaeſo, cui vacat, quae eodem libro, ex quo haec de-
ſumta ſunt, fere extremo (55) de Adraſtia atque Nemeſi habet,
copiosa illa et ex ipſa fabularum penu deſrompta. Hac qui
tam frigida vbiuiſ oratione vtatur, in his qui erret ſyrribus,
has qui ampullas proiicere geſtiaſ, cumne ego auctorem
putem hoc vno loco, vbi a Conſtantio narrat Iani templum
eſſe conclusum, ſobrie loqui & nativo ſermone, abieciſis falsis
coloribus, exſultantium verborum luxuria euitata, rem ipſam,
vt geſta ſit, velle mihi tradere? Credat hoc, cui mens eſt,
quam mea, firmior. Ego mihi persuaderi non patior.*

S. XVI.

*Sed non caſu haſtentus aut fortuito tam multa de clauſo
apud Romanos Iano locutus ſum. Nam profanorum rituum
obſeruari olim genti togatae pace parta ſolitorum idcirco non
nullos protuli, vt illuſtriores apparerent illi, quos colimus
hoc tempore nos, qui Christiani ſumus; per omnem fere Eu-
ropam immo in extremis terrarum finibus, pace terra ma-
riique reſtituta. Quemadmodum enim per hos ſex ſeptem
annoſ, proh dolor! nulla propemodum gens Christiana non
aut bello vexata fuit, aut implicata publicis calamitatibus, aut
territa faltem armis, ita inter populos, quos Christi nomen*

(55) pag. 33.

PARS ALTERA
ORATIONI SUBIVNGENDA.

CANTVS OMNIVM.

Tv, Rex gloriae, IESV CHRISTE,
Tu Patris sempiternus es filius.

CANTVS MODVLATIOR VNIVS.

Tu ad liberandum suscepturnus hominem
Non horruisti virginis vterum.
Tu, deuicto mortis aculeo,
Aperuisti credentibus regna coelorum.

CANTVS OMNIVM.

Tu ad dexteram D E I sedes
In gloria Patris.
Index crederis esse venturus.

CANTVS DVORVM MODVLATIOR.

Te ergo quæsumus, tuis famulis subueni,
Quos pretioso sanguine redemisti.
Aeterna fac cum sanctis tuis
In gloria numerari.

CANTVS SIMILIS VNIVS.

Saluum fac populum tuum, Domine,
Et benedic hereditati tuac.

CANTVS OMNIVM.

Et rege eos et extolle illos vsque in aeternum.
Per singulos dies benedicimus te
Et laudamus nomen tuum in saeculum
Et in saeculum saeculi.

CANTVS

CANTVS VNIVS MODVLATIOR.

Dignare, Domine, die isto sine peccato nos
custodire.

Miserere nostri, Domine.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos;

Quemadmodum sperauimus in te.

CHORVS OMNIVM.

IN TE, DOMINE, SPERAVI.

NON CONFVNNDAR IN AETERNVM.



HYMNVS AMBROSIANVS

CVIVS

PARS PRIOR

ANTE

ORATIONEM EVCHARISTICAM

DE PACE

QVIBVS DAM ANIMORVM CORRVPTELIS

ADITVM PRAECLVDENT

IN

AUDITORIO CATHARINIANO

A. CCCCLXIII. A. D. XVIII. MAI.

HABENDAM

PARS ALTERA

EADEM FINITA

AD SYMPHONIAM CANETVR

MODOS FECIT QVONDAM

V. CL.

CAROLVS HENRICVS GRAVNIVS

DIRECTOR OLIM REGIVS CANTORVM AVICOR.

BEROLINENSIVM.

LVBECAE

PARS LITTERIS GREENIANIS,

H Y M N I A M B R O S I A N I

P A R S P R I O R

A N T E O R A T I O N E M C A N E N D A

C A N T V S O M N I V M

TE D E V M laudamus,
Te Dominum confitemur,
Te aeternum Patrem omnis terra veneratur.
Tibi omnes angeli,
Tibi coeli et vniuersae potestates,
Tibi Cherubim et Seraphim incessibili voce proclamant:
Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sebaoth.
Pleni sunt coeli et terra Maiestatis tuae.

C A N T V S M O D V L A T I O R B I S B I N O R V M,

Te gloriosus Apostolorum chorus,
Te Prophetarum laudabilis numerus,
Te martyrum candidatus laudat exercitus.

S I M I L I S C A N T V S V N I V S

Te per orbem terrarum sancta confitetur ecclesia
Patrem immensae Maiestatis;
Venerandum tuum verum et unicum Filium;
Sanctum quoque paracletum, Spiritum.

R E P E T I T V R C A N T V S O M N I V M

E X P A R T E .

TE D E V M laudamus,
Te Dominum confitemur,
Te aeternum Patrem omnis terra veneratur.

T I T L E R I S G R E M M I A N I S

P A R S

ornat, nullus nunc est tam ingratus, tam officiorum suorum immemor, tam iniquus, ut non publice, quid per hanc temporum felicitatem sanctissima religio a se requirat, testetur. In primis per omnem Germaniam acti sunt dies festi factaeque gratulationes; neque vel pagus fuit illus vel vicus tam exiguis, quem non gaudii pietatisque si minus celebritas illa, attamen sanctitas, maximis opulentissimisque vrbibus assimilaret. Tunc vero, alma Lubeca, torpebas? Minime. Prouidit SANCTISSIMORVM PATRVM cura, ut templa apud nos nulla clauderentur, sed singula quam solennissime aperi- rentur et piis precibus cantionibusque et sacrorum oratorum voce, si alias vñquam, resonarent. Spesque inde maior subnata est, fore, ut animorum etiam quasi templa quaedam illabenti posthac Numini magis paterent, sordibus vero et iniquitatibus et cuilibet corruptelae penitus obstruerentur. Quin etiam Gymnasium nostrum, templum quoque illud, quum bonarum artium, tum virtutis atque pietatis, crastina luce ex eorundem PATRVM CONSCRIPTORVM mandato patebit insigniori cuidam solennitati, qua etiam ibi laudari ac celebrari adorandi Numinis beneficia exoptatissimae pacis praefidio nobis concessa, constitutum est. Quod quidem fieri a me oratione habenda

De pace quibusdam animorum corruptelis aditum praecludente.

Fiet vero etiam ab Auditorum pietatis ac virtutis amantium so-
lida dignissima que frequentia. Quae ut nobis obtingat, quam-

d 2

quam

AK II 5 984 ND 18

28

४६

A small, dark circular emblem or seal is located in the bottom right corner of the page. It features a central circle with several radiating lines or points extending outwards, resembling a stylized sun or a gear.

68

JANUARY


quam minime verendum esse arbitramur, dum cogitamus
summi Numinis maiestatem ac reuerentiam; AMPLISSIMI
vero SENATVS auctoritatem, pacis denique ipsius dulcedi-
nem, tamen, tum, quia mos viget et consuetudo haec inui-
tandi, tum in primis, quia dulce est et iucundum, rogare eos,
quos colas et obserues, etiam volentes, oro Vos atque obte-
stor humillime decenterque, MAGNIFICI ET ILLVSTRES
Reipubl. CONSULES, summe venerabilis reuer. Canonico-
rum collegio PRAEPOSITE, generosiss. Eorundem DECA-
NE, summe reuer. atque excellentiss. sacrar. rerum SVPERIN-
TENDENS, nobilissimi, consultiss. et experientiss. Reipubl.
SYNDICI et Iurium artisque salutaris DOCTORES, admo-
dum reuerendi ac praeclariss. sacri ordinis SENIOR, PASTO-
RES et SYMMYSTAE, nobilissimi, prudentiss. et ampliss.
SENATORS, PROTONOTARIE et SECRETARII, deni-
que omnes, quotquot & datis ornamentum literis & ab iis-
dem accipitis, ut sacrum illud craftinum decorare velitis hono-
rifica praesentia Vestra eidemque animo et linguis fauere Vo-
bisque persuadere, nihil a me optari vehementius, quam ut
aditus omnis ad Vos omnes atque singulos malis quibusque
et calamitatibus perpetuo sit ademptus, felicitati autem
cuiuscunque generis et omni prosperitati nullo

De base d'impresión simplexion collapsus non tempore patet.

P. P. Lubecae a. d. xviii. Maii A. MDCCLXIII.

This is a copy of the original manuscript of the first edition of *Paradise Lost*, written by John Milton. The manuscript is handwritten in ink on vellum, with some red ink used for headings and initials. The text is in two columns per page, with a large initial 'P' at the beginning of each page. The manuscript is bound in a dark leather cover.

X3063839



DE
T E M P L O
 IS ALIQVOTIES CLAVSO
 NON CLAVSO
 A
I S T A N T I O
 MANORVM IMPERATORE
M M E N T A T I O
 QVA
E M E V C H A R I S T I C A M
 DE PACE
 ANIMORVM CORRVPTELIS
 ITVM PRAECLVDENTE
A G N I F I C I S E N A T V S
 IN
 ORIO CATHARINIANO
 AII ANNI PACIFERI MDCCXLIII
 SOLENNI RITV HABENDAM
 VDITVRIS INDICIT
DANIEL OVERBECK
 IN. LVEEC. RECTOR
 EVTON. GOETTINGENSIS ET IENENS.
 COLLEGA HONORARIVS.

 LVBECAE.
 O H. NICOL. GREENII
 MAGN. SENAT. TYPOGR.

